Vir Illuſtris
Ampliſsime

Si faciles circumferre oculos, si monumenta non ita recentia humanitatis Tuæ lustrare, et beneficia in peregrinos et ignotos collata vacat excutere, non ingrata forsan memoria recolere poteris collocatam in hominem Danum ante hos duodecim annos benevolentiam, qua inductus, non emaci officii genere, tendentem in Italiam Literis commendatitiis ornare ultro benigne annuisti. Non lapidi factum gaudeas, nam fatis licet vetantibus, cum grati ne quidem animi signa Tibi Vir Illuſtris hactenus exhibere nostra fuerit opis, ita tamen ad omnem Nominis Tui et famæ mentionem, si quid illi adstruere valerem, pronum in laudes Tuas paratumque semper fuisse, quod solum mihi reliquum fecit conditionis, qua circumscribor tenuitas, testis spectatæ fidei certissimus esse potest Celeberrimus Kappius vestras ad quem non ita pridem literas misi. Prolixum Tuum in Danos

nostros affectum testatur Precherus noster Tui observantissimus, et felici adeo documento nova Tuo Praesidio palma auctus Plessus Generosissimus. Nec Patriae nostrae limitibus continetur florentissimi nominis Tui gloria perrupit in ipsam Moscoviam et splendorem late sparsit. Est apud nos Legatus Imperii Moscovitici nomine Comes de Bestuchef, Cubiculariorum in Russia Praefectus, cui filius indolis erectioris nec humanioribus disciplinis leviter tinctus, qui me duce ipsa Moralis Philosophiae et Juris Nat. limina non perfunctorie salutavit, huic animus est sub veris initium circa festum Paschatos sedem mansuetiorum Musarum Lipsiam vestram petere, cumq Tuis in aedibus stadium quod decurrat studiorum Tuo inprimis ductu et auspicio optet emetiri, Tuam ante omnia, me interprete mentem experiri voluit, velles haud gravate mihi rescribere, quanti hospitium et mensa illi ac ductori apud Te per Annum constaret; biennium autem ni valde fallor integrum, Apollini litabit Misnico. Non tecum reor certaret corda juvenilia fingere Nestor et moderator indomiti Ulyssis Phoenix, quiq Aeacidem aeres tubas et lituos volentem audire alio carmine frangebat Chiron, nec Te itaq difficilem votis Adolescentis Nobilissimi multa minantis atq praeclara praebiturum auguror, praecipue cum moribus sit ita compositis, animo docili et sequaci, illoq comitatus magistro, ut viam eo ad gravis honesta praeeunte, Te monitore ac ducente, bono cum Deo, spem certam Parentum Illustrissimorum inchoare novamq meritis ac laudibus tuis materiam praebere queat. Te autem Vir Illustr: quae in hoc aliisq omnibus susceperis negotiis Deum summum fortunare velim

Nominis Tui Illustris

devotissimus

Joh: Pet. Anchersen

Biblioth Univ: Hafniensis Bibliothecarius

Hafniae V Kal. Martii
MDCCXXXVI